



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Impoßibile omnino est, etiam diuina virtute, vt Deitas sit componibilis
alteri tanquam prima cum subiecto, aut natura cum supposito. cap. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Augustin.
Magister.
Thom.

Boavent.

Augustinus libro prim. contra Maximin. capit. 10. & ex ipso Magister in 3. d. 7. Diu. Thomas tert. part. question. secund. artic. quart. ad secundum, & Doctores communiter. Huic obiectioni respondetur cum Diuo Bonauentura in 3. d. 7. numero 1. partem multipliciter sumi: primo dicitur id, quod venit in alicuius compositionem, siue realem, siue rationalem: secundo quod venit in compositionem alicuius, secundum rem & naturam: tertio, & magis proprie, quod venit in constitutionem alicuius secundum quantitatem. Et his duobus modis non interuenit ratio partis in composito ineffabili, primo vero maxime. Doctores autem intelligendi sunt de propria ratione partis concurrentis ad aliquid vnum in genere naturæ. Ex quo patet conditiones, quas præterit Caiet. Alenf. & alij solum requiri ad compositionem naturalem constantem veris partibus.

Impossibile omnino est, etiam diuina virtute, ut deitas sit componibilis alteri, tanquam forma cum subiecto, aut natura cum supposito.

CAPVT XII.

I.

Modi illi compositionis, qui resultant ex vnione hypotastica, non suapte natura, sed ex diuina potentia, atque miraculo componentibus conueniunt. Ex quo sumitur occasio dubitandi, vtrum componibilitas cum alio in ratione naturæ, quamuis suapte natura non conueniat deitati, diuina saltem virtute conuenire possit. Ea vero multipliciter fingi potest, nimirum vel tanquam formæ cum materia, vel tanquam naturæ completæ cum altera natura: idque dupliciter, aut interueniente corruptione, ac missione virtuali ipsarum, aut vtraque integramanente: vel denique tanquam natura cum supposito alieno. Non defuerunt qui hanc partem, quatenus intelligitur de componibilitate in ratione formæ possibilem existimarint: inprimis Ariani; qui, ut referunt Epiphanius hæresi sexagesimanona, paulo post medium, & Augustinus, hæresi quadagesima nona dixerunt verbum diuinum fuisse corpori Christi Domini loco animæ: nam factum affirmantes, hoc ipso possibilitatem admiserunt, & Ecclesia damnauit asserentes fa-

ctum, de possibilitate autem non curauit. Secundo vero modo hæretici Eutychiani, qui ut vnitatem suppositi contra Nestorium defenderent, vnam quoque naturam solum in Christo agnoscebant resultantem ex duabus per confusionem ipsarum, vel per conuersionem humanæ in diuinam: diuersimode enim à Patribus Eutychianæ hæresis sensus exponitur. Non defuerunt etiam, qui ex naturis integris eam compositionem astruerent, quorum meminit Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioan. secundum, qui tertium componibilitatis modum asseruerint nondum legi: quamuis autem prædicti errores, quod attinet ad factum impugnari soleant in materia de incarnatione ex proprijs ipsius principijs, quod tamen attinet ad possibilitatem, hic est proprius agendi locus, abstinere tamen à fundamentis pendentibus ex facto.

Fundamentum primæ sententiæ, quatenus solum astruit possibilitatem, est, quoniam componibilitas formæ cum subiecto potest abstrahi ab omni imperfectione, qua sublata non est vnde sumatur repugnantia, siquidem enti summe perfectio solum repugnat ratio imperfectionis. Antecedens vero suaderetur, quoniam forma in maxime communi abstractione conuenit deitati, quæ dicitur ab Apostolo, ad Philippens. 2. *forma Dei*: nec repugnat illi, quatenus formaliter causat: hac enim ratione verbum æternum ab Augustino sermone 38. de verb. Domini in illa verba: *In principio erat verbum*, dicitur forma. Responderi potest non repugnare deitati rationem formæ separatæ habentis rationem causæ formalis extrinsecæ, siue exemplaris, repugnare tamen rationem formæ coniunctæ, & habentis rationem causæ formalis intrinsecæ, qualis est omnis forma componibilis alteri, tanquam subiecto. Contra obijcitur primo, forma informans secundum se non penderet à materia, ut patet in anima rationali, respectu cuius materia non habet vllam causalitatem, nec mutuatur ab ipsa vllam perfectionem, imo suam illi impertitur, ut constat in eadem anima, quæ vitam corpori communicat: communicare vero alteri perfectionem non est imperfectio, conuenit enim Deo ad intra, & ad extra. Dicat aliquis non consistere imperfectionem in ijs, sed in coniunctione ad materiam, modus enim existendi separate est perfectior, à quo natura diuina transire poterit ad minus perfectum, si possit esse forma infor-

Eutychiani.

Iustinian.

II.

ad Phil. 2.

Augustinus.

Ariani.
Epiphanius.
Augustin.

informans, & consequenter erit mutabilis in deterius: quod inuoluit contradictionem. Non soluitur tamen argumentum, quoniam sola coniunctio realis ad materiam, non est impossibilis Deo: nam hypostasis diuina verbi, & consequenter eius natura est realiter vnita corpori Christi Domini: & confirmatur, quoniam ex tali coniunctione non desinet natura diuina esse in se natura separata, & impermixta, quemadmodum reuera manet nunc, etiam si sit realiter coniuncta corpori, non enim ad ipsum terminatur, ac diffinitur, sed vbique tota intra, & extra illud existit: ergo ex ratione coniunctionis ad materiam non oritur talis repugnantia, vt sit contradictio. Secundo Deus potest impedire quominus sequantur absurda, & imperfectiones propriæ formarum naturaliter informantium: non enim necessario sequitur limitatio ad corpus informatum: nam, si non desunt, qui affirmant formam naturalem diuina virtute posse informare duas materias, & consequenter etiam posse existere informatiue in materia, & extra illam, cur ipsa deitas circumscriberetur materia, si ipsam informaret? Et confirmatur, quoniam suppositum naturale ita determinatum est ad propriam naturam, vt sine illa, aut extra illam esse nequeat: & nihilominus verbum diuinum ita coniungitur naturæ assumptæ, vt maneat eodem modo liberum, & incircumscriptum, quo erat ante incarnationem: ergo, quamuis formæ naturales suapte natura ita determinantur ad materiam, vt eius terminis claudantur, natura diuina non ita necessario circumscriberetur, sed remanebit in sua immensitate. Non sequeretur etiam commenturatio, & appetitus ad materiam, qui est naturalis omni formæ informanti: nam in ijs, quæ super naturam fiunt, nihil eiusmodi requiritur, sed sola non repugnantia; non requireretur agens extrinsecum, à quo fieret coniunctio deitatis cum subiecto: Nam, sicut verbū diuinū efficiēter cōiunxit sibi naturā humanā hypostatice, ita diuinitas posset materiam creatam sibi copulare. Deniq; non sequeretur ratio incompleti, atque imperfecti: non incompleti, nam hæc solum datur quando est subiectum, vel forma suapte natura commensurata, & ordinata, ad ulteriorem perfectionem sibi debitam in genere substantiæ, idcirco enim prima substantia, etsi recipiat formas accidentales, non est ens incompletum, quia ipsa terminata est, & completa in genere substantiæ: natura autem diuina est completa, & per-

fecta in genere substantiæ: ergo, quamuis subiecto coniungatur non propterea desinet esse completa: Non sequeretur ratio imperfecti, quoniam non opus est, vt compositum supernaturale sit necessario perfectius altero componente: Christus enim Dominus est compositum ineffabile ex duabus naturis: & nihilominus non est perfectius sola natura diuina per se sumpta: quare, licet ex deitate coniuncta materiæ fieret vnum compositum, non opus esset, vt id esset perfectius deitate: sed sola ea exaret perfectionem totius manens infinite perfecta. Eisdem fere rationibus vt possumus ad ostendendam possibilitatem alterius componibilitatis essentiae in ratione naturæ cum supposito creato: nam ratione solius coniunctionis entis diuini cum creato non repugnat: non sequeretur vero ratio potentiae passivæ, aut imperfectio in deitate: non imperfectio, quoniam deitas considerata cum præcisione à relationibus est infinite perfecta, neque vlla illi perfectio accrescit ex personalitatibus: ergo, si copularetur supposito creato, nihil illi perfectionis accederet, aut decederet, & consequenter non esset in potentia, hæc enim non est nisi ad actum: at vero respectu naturæ diuinæ personalitas non habet rationem actus.

Opposita sententia est omnino certa, omnes enim Theologi aiunt impossibilem esse coniunctionem naturæ diuinæ cum alia natura creata, siue completa, siue incompleta ad constitutionem vnius entis per se in genere naturæ, ita Albert. 1. p. tractat. 4. q. 20. memb. 2. argumento 4. Sancti Thom. 3. p. q. 2. art. 1. Henric. in summ. ar. 29. q. 8. Richard. in 1. d. 8. ar. 3. q. 1. Scot. q. 1. §. Secundo proba. Aureol. q. 4. ar. 1. Petrus de Tarantaf. apud Carthus. q. 5. & alij cit. cap. præced. num. 4. idem sumitur ex Philosophis, qui duas naturas creatas integras, & cōpletas in suo genere in vnam tertiam componi posse negant: & idcirco, cum adhiberi voluit exemplum alicuius figure, & impossibilis proferūt hircoceruū, hypocētaurū, & similia, q̄ concipiunt cōposita ex diuersis naturis cōpletis: multo vero magis repugnat naturā diuinā q̄ creatā venire in compositione tertiarum naturarum: nā diuina superat oēs creatas integritate, & cōplemento: atq; adeo, si naturis creatis completis repugnat cōponibilitas cum altera natura ad constituendū vnū tertium in genere naturæ, etiam repugnabit diuinæ. Sed tota difficultas est in assignanda cōtradictione, quæ exinde sequatur: & tradenda ratione, cur non repugnet cōponi Deum cum creatura tanquam

in sup-

III.

Albertus

S. Thom.

Henricus

Richardus

Scotus

Aureol.

Tarantaf.

suppositum cum natura, repugnet autem componi tanquam formam cum materia, aut naturam cum supposito extraneo, vel tum alia natura.

IV.

Ex citatis autoribus sumi possunt hæc fundamenta. Primum, cum ex cōpositione resultat vna tertia natura cōposita ex duabus, non potest abstrahi à componentibus ratio partis: pars vero est aliquid imperfectius toto, incompletum, & in potentia ad aliam partem, vel saltem respectu totius: hæc omnia repugnant deitati, ita vt inuoluat contradictionem ipsorū cum deitate coniunctio: ergo etiam repugnat cōponibilitas. Maior propositio quoad priorē partē ostenditur: nam tertia natura nō aliter coalescit ex duabus, q̄ cōitione harum inter se, & communicatione propria entitatis, tū inter se mutuo, tū respectu naturæ ex ipsis integratæ: ex hoc vero sequitur, vt quævis ipsarum non sit tota entitas naturæ cōposita, sed aliquid illius: in hoc aut cōsistit ratio partis: nam Arist. li. 5. Met. t. 30. inter varias partis acceptiones refert componētia tanquam formam, & materiam his verbis: *item intellige, sunt partes, de his enim ibi tractat, in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum componitur, aut ipsa forma, aut quod formam habet*, hoc est subiectū, quod actuatū à forma: quapropter qui admittit naturam informare subiectum ad instar formæ, hoc ipso concedit illi ea rationem partis. Secunda pars maioris probatur, quoniam pars, & totum proprie sunt primo dicta de quanto: ideoq; Philosophus vbi supra primo loco posuit eam partis acceptionē, qua dicitur *id, in quod quoquo modo quantum diuidi potest*. Et quemadmodū quantum cōtinet plus aliquid, quam singula eorum, in quæ diuiditur, & in genere quanti est perfectius iisdem: ita, quæ alijs modis dicuntur partes admittunt diuisionem, si non realem propter necessariam connexionem, saltem intentionalem respondentem partibus rei: & continent minus aliquid quam totum, quod integrant, & ob id ipsum sunt eo imperfectiores: nam, quemadmodum Philosophus lib. 3. Phys. t. 64. totum, & perfectum idem esse vult, ita pars, & imperfectū coincidunt, quia pars caret complemento, quod habet totum ac cōsione alterius: hæc autem omnia conuenirent naturæ cuiunque per modum formæ actuantis alteram, vt subiectum: nam ipsa non includeret formaliter alteram, & sic posset ab ea diuidi saltem secundum intellectum adæquatum rebus: item contineret aliquid minus toto, & consequenter esset in potentia ad modum existendi to-

tius: quod, vt ex Philosopho docet sanctus Thomas prim. part. quæstion. tertia, arti. septim. est formale respectu partium, hæc vero respectu illius habent rationem materiæ. Et ita ex ratione partis recte sequitur potentialitas, ratio incompleti, finitudo: quæ omnia pugnant cum ratione actus puri omnino perfecti, & infiniti, qualis est Deus.

Secundum fundamentum. Omnis forma substantialis intrinsece, & formaliter actiuans subiectum, est subordinata actioni superioris agentis, commensurata, & proportionata subiecto, & consequenter actus naturalis illius: hæc omnia repugnant deitati: ergo nulla omnino virtute potest copulari materiæ ad compositionem vnius per se. Assumptio patet, nam prima causa non subditur actioni alterius agentis: actus purus infinite perfectus excedit omnem capacitatem subiecti, ideoq; commensurari illi nequit: nam, si commensuraretur, esset eiusdem ordinis cum illo: quod cadere nequit in deitatem respectu vllius creaturæ: & ob eandem causam nequit esse actus naturalis materiæ, quia actus, & potentia connaturales sunt eiusdem ordinis: tum vero, quia aliter diuinitas nunc à materia separata esset modo non naturali, sicut est omnis forma separata à materia, cuius actus naturalis est: Deo vero nihil præter naturam posset accidere: quia id provenit à causa extrinseca prædominante virtuti eius, quod deijcitur à statu naturali ad eum, qui est contra, vel præter naturam: & ita omnia illa repugnant Deo. Ea vero esse inseparabilia à forma actuante ostenditur, quoniam in omni copulatione formæ ad materiam interuenit actio alicuius agentis: hoc non potest esse ipsa forma: ergo aliud, à quo ea effectiue introducatur. Maior propositio est euidentis, itemque consecutio. Assumptionem probo, quia terminus intrinsecus actionis nequit esse principium ipsius: forma vero est terminus intrinsecus actionis copulantis ipsam cum materia: quare non potest esse principium eius efficiens. Respondetur ad maiorem propositionem, duplicem esse terminum intrinsecum actionis: nimirum eum, qui simul fit cum producto totali: & eum, qui non fit, sed solum iam præexistens introducit in subiectū: qua ratione anima rationalis in resurrectione erit terminus extrinsecus actionis copulantis ipsum materiæ: & primum quod non posse simul esse principium actiuum actionis, qua fit, posterius vero posse: quomodo non desunt, qui cōcedant animæ

V.

ratio-

rationalem, si ponatur indistans à materia disposita, suapte vi se illi copulare: & hac ratione, si aliunde non repugnet, posse diuinitatem sibi copulare materiam, siue aliam naturam creatam. Verum solutio non est adæquata: etenim terminus omnis intrinsecus actionis spectatus secundum se in eo priore, quo præcedit actionem, non est actus in se ipso, sed est in potentia passiva subiecti, & actiua efficientis: vel simpliciter, vel quoad eum essendi modum, quem ex vi talis actionis de nouo sortitur, exempli causa in equi generatione anima antequam educeretur de potentia materiae, erat solum in potentia actiua generantis, & passiva materiae: anima vero hominis, cum denuo iterum coniungitur materiae, ipsa quidem secundum se est actus, verum quoad modum existendi in corpore nequaquam, sed solum in potentia, sed nulla actio potest emanare ab eo, quod non est actus, sed solum potentia in alio, nihil enim agit, nisi secundum quod est actus: & ideo, cum forma quoad id, quo est terminus actionis, non sit in actu, neutiquam poterit esse principium actuum eius actionis, cuius ipsa est terminus formalis intrinsecus. Requiritur vero, ut forma sit commensurata subiecto est per se euidentis: forma enim non est actus cuiusvis subiecti, sed proprius: proprium vero dicitur secundum commensurationem, & aptitudinem proximam ad formam: ex quo tandem sequitur, ut sit actus naturalis eius: natura enim non coalescit ex quavis potentia, & actu, sed ex naturaliter commensuratis: ex coniunctione vero formae substantialis cum materia componitur natura: ergo semper forma debet esse actus naturalis materiae.

VI.

Ex iisdem quoque principiis dicendum fieri non posse, ut natura diuina veniat simul cum natura creata completa in compositionem tertiæ naturæ ex utraque compositæ. In primis non per mixturem, aut confusionem vtriusque, aut conuersionem diuinæ increatae: id enim repugnat diuinæ immutabilitati, ut constabit tractat. 7. non per conuersionem creatæ in diuinam: nam conuersio si nihil maneat rei conuersæ, non facit compositionem eius cum termino conuersionis: non enim in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento est vlla compositio ex substantia panis, & corpore Christi Domini: non denique manente utraque natura in propria integritate, & completa: etenim eo dato utraque esset completa, & incompleta: completa, quia modus completi in naturis substantialibus consideratis secundum essentiam, & non in

ordine ad totum, vel partes integrantes est inseparabilis, & intrinsecus: idque saltem in natura diuina est per se notum: incompleta vero, quia concurret ut pars ad constitutionem vnius tertiæ naturæ. Item sequeretur suppositum subsistens in tertia illa natura composita ex duabus, v.g. diuina, atque Angelica esse Deum, & non Deum, Angelum, & non Angelum, quæ est aperta contradictio. Probatur sequi, etenim omne suppositum subsistens in natura substantiali completa denominatur ab illa substantiæ, illud suppositum subsisteret in natura diuina, & Angelica, quæ sunt naturæ completæ: ergo esset Deus, & Angelus. Contra vero ex eo, quod hæc componant tertiā aliam naturam sequitur non esse: nullum enim suppositum denominatur substantiæ à partibus componentibus naturam, in qua per se primo, & adæquate subsistit: ut per singula discurrendo videri potest. Denique natura est principium motus, & quietis eius, in quo per se inest, ita ut cuius naturæ per se conueniat vnus motus: natura vero ex duabus alijs integris, & completis resultans non posse esse principium commune, & adæquatum vnius motus, siue operationis: quandoquidem singulæ naturæ per se essent propria principia naturalium suarum operationum: atque ita non vniuntur ad constituendum per se vnum principium motus: ergo impossibile est, ut concurrant ad constituendam vnā tertiā naturam.

VII.

Vltimo dicendum repugnare prorsus, ut natura diuina veniat in compositionem cum supposito creato. Non est huius loci disquirere, an natura personata propria personalitate, & existens in proprio supposito assumi possit: hoc enim pertinet ad materiam de incarnatione: sed solum intendo excludere à natura diuina componibilitatem immediatam cum alieno supposito. Fundamentum est, quoniam non aliter intelligimus coniunctionem naturæ ad suppositum alienum, quam per terminationem dependentiæ illius ab hoc, ita enim doctores explicant vniōem hypostaticam naturæ humanæ cum verbo diuino, atque natura diuina non potest fieri dependens ab vlla re: ergo neque venire cum supposito alieno in compositionem. Præterea substantia aliena supponit aliquam potentialitatem, & mutationem in naturā, cui aduenit, & quam reddit formaliter subsistentem: nam secundum se caret eiusmodi substantia, & est apta suscipere

illam

illam per actionem alicuius agentis: actio vero non recipitur immediate in supposito, sed in natura, in qua subsistit: suppositum enim ratione suppositivitate præcisè non recipit, aut sustentat immediate actionem, sed interuentu naturæ, quam supponit: & ita cum omnis actio realis de nouo recepta in natura supponat in ipsa priuationem eius, quod aduenit, & sit vera mutatio realis opposita immutabilitati diuinæ, fieri nequit villo modo, vt deitas veniat in compositionem cum alieno supposito: sed de his satis pro præsentis instituto.

VIII.

Ad primum argumentum initio propositum recte ibidem respondetur rationem formæ, imo & causæ formalis, prout abstrahit à separata, & coniuncta extrinseca, & intrinseca non repugnare deitati. Ad rationem vero, quæ probatur non repugnare etiam rationem formæ coniunctæ, respondetur eam, etsi nihil acciperet à materia, saltem participare perfectionem totius, quæ est formalior & perfectior partibus: & consequenter non esse simpliciter perfectam. Probari etiam potest responsio ibidem assignata: & ad eius impugnationem respondetur coniunctionem naturæ diuinæ tanquam formæ cum materia non repugnare præcisè, quatenus est coniunctio realis diuinitatis cum creatura, vt bene probatur exemplo incarnationis: sed quatenus est coniunctio formæ intrinsecæ ob imperfectiones assignatas, quæ non interueniunt in vnione hypostatica, vt fusè probant Doctores in tert. d. prim. & alibi, cum agunt de possibilitate incarnationis. Ad confirmationem respondeo, si supponatur naturam diuinam re ipsa coniungi cum materia, sequi & id, quod arguens vult, nempe manere simul impermixtam, & illimitatam, quia natura diuina est: & eius oppositum, hoc est circumscriptam ad corpus, quia eius forma intrinseca est, quod implicat contradictionem, hæc vero sequitur ex suppositione illa falsa. Ad secundum respondeo, quamuis fortè aliquæ ex imperfectionibus repertis in formis creatis impediri possent, non tamen omnes: & ita, quidquid sit de circumscriptione, saltem remaneret commensuratio ad materiam, & aliæ imperfectiones, vt dixi, & ad primam impugnationem respondeo, si deitas esset forma, & actus materiæ, necessario fore naturalem, non super naturam illius, omnis enim actus proprius substantialis materiæ constituit cum ipsa natu-

ram, & consequenter est naturalis. Ad secundam neganda est consequentia: ratio diuersitatis est, quoniam si natura diuina copularetur materiæ, vt forma, esset terminus intrinsecus actionis, & ideo non posset esse principium illius: Verbum autem est terminus extrinsecus assumptionis naturæ humanæ, & ideo potest esse causa eius efficiens: nam terminus extrinsecus potest esse causa motus ad ipsum, vt patet in tractione, quæ terminatur extrinsece ad eum, qui efficienter trahit. Ad tertiam negandum est antecedens, & ad argumentum, quo suadetur non fore rationem incompleti, dicendum est facta hypothesi, quod natura diuina copuletur vt forma materiæ, hoc ipso non posse intelligi rationem entis completi, quoniam esset actus eius connaturalis ordinatus ad complementum naturæ ex vtraque resultantis. Ad eam, quæ probatur non fore rationem imperfecti, respondetur facta illa hypothesi compositum illud fore naturale, quoniam forma totius esset vere natura, atque adeo pars eius esset imperfectior toto, in vnione autem hypostatica non est compositio in natura, sed secundum hypostathum, quæ est supernaturalis: & ideo nil mirum si totum non sit perfectius altero ex componētibus. Si quis vero urgeat dicendum esse compositum supernaturale, quia forma est supernaturalis: respondeatur vtrumque sequi nempe vt sit naturale, ac supernaturale: & formæ æque, ac minus perfecta toto: quæ omnia sunt absurdum.

Ad argumenta, quibus suadebatur possibilitas compositionis ex natura diuina, ac supposito creato, respondeo huiusmodi compositionem non repugnare solum ratione coniunctionis realis diuinitatis cum creatura, vt dictum est, sed ratione talis coniunctionis, ex qua sequitur ratio potentialitatis, & dependentiæ. Ad rationem in oppositum respondeo ad potentiam passiuam non necessario requiri, vt actus adueniens sit secundum omnia perfectio simpliciter, nam aqua habet potentiam passiuam respectu caloris ab igne recipiendi, & tamen calor non est perfectio simpliciter, nisi secundum rationem communem entis. Hoc posito dico, quamuis natura diuina secundum se sit infinite perfecta, & personalitates non addant illi perfectionem simpliciter, vt plerique vident, de quo alias, tamen, si illæ distinguerentur ab essentia, & aduenirent ipsi actione alicuius agentis, sane futuram in ea

IX.

potentiam passiuam respectu ipsarum, & principium mutationis: nunc autem quia necessario est idem prorsus cum ipsis, & cum actionibus personalibus, nec habet potentiam ad ipsas, nec principium mutationis: At respectu suppositi creati habet distinctionem realem: & cum illud sit aliquo modo actus profecto accessu eius subiret mutationem, & consequenter haberet potentiam passiuam; quæ est principium, & fundamentum mutabilitatis.

Compositio rationis concedi potest in rebus simplicibus admittentibus distinctionem, ac multipliciter rationis in re fundatam.

C A P I T U L U M XIII.

1.

Quoniam est etiam controuersia inter Theologos an admitti possit in Deo compositio rationis, videndum prius verum sit, & quid sit? & quidem in rebus actu minime distinctis dari posse compositionem rationis doctores communiter admittunt, sed circa eius condiciones est opinionum diuersitas, quas ut expendam suppono compositionem rationis distinctam à compositione actuali consistere proprie in actu intellectus copulantis prædicatum subiecto. Verum eiusmodi compositio à nemine negabitur: hoc enim admittitur etiam inter nomina synonyma, ut patet in propositione identica, qua idem prorsus per affirmationem sibi ipsi componitur, & ideo datur etiam in terminis diuinis: nec de hac sermo est, sed de illa, quæ saltem per denominationem extrinsecam redundet in rem, ita ut composita dici possit saltem virtute, ac fundamentaliter tanquam obiectum vnius rationis intellectualis adæquatæ resultantis ex pluribus quasi partialibus, & in adæquatis: quomodo nõ denominatur ex compositione enunciativa: non enim ex eo, quod aliquis mente dicat, *substantia est substantia, vel Deus est Deus*, denominatur Deus, vel substantia composita: siquidem ad rationem compositionis denominantis rem compositam requiritur aliqua distinctio inter partes, ex quibus compositio coalescit: in his vero compositionibus essentialibus non est discrimen secundum rationes formales, & obiectiuas: nam sub eadem omnino ratione percipitur obiectum conceptu habente se ex parte sub-

iecti, sub qua percipitur eo, qui se habet ex parte prædicati. Ex quo deinde colligitur ea, quæ nequeunt apprehendi pluribus conceptibus in adæquatis non synonymis, nullo modo admittere compositionem rationis: etenim ad omnem compositionem requiritur multiplicitas, est enim compositum vnum ex multis: quare ad compositionem rationis requiritur multiplicitas rationum; hæc vero non datur, ubi haberi nequeunt plures conceptus non synonymi de eodem obiecto.

Hoc statuto de communi sententia sequitur ut aliæ condiciones expendantur. Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus ad argumenta Aureoli, quem sequitur Soucinus ibidem, & 4. Metaph. q. 28. duas præcipue exigit. Prima est, ut omnis compositio rationis reducatur ad aliquam realem, in eaque fundetur altera, ut interueniat in ipsa ratio potentia, & actus. Prior sumitur ex discrimine, quod statuit inter Deum, & speciem compositam ex genere, ac differentia: nam ideo negat in Deo compositionem rationis, quia in ipso non est vlla compositio realis, ad quam reducatur, sicut est in specie composita ex genere, ac differentia. Quæ responsio supponit ad compositionem rationis omnino requiri, ac supponi realem, à qua defumatur, alioquin impertinens est solutio: nam, si compositio rationis nõ supponit realem, adhuc esse in Deo poterat, & si in ipso non esset realis. Id vero ex Diu. Thoma colligere sibi videtur Capreol. nam Diu. Tho. q. 3. de verit. art. 2. ad 3. ita habet: *Pluralitas rationis quandoque reducitur ad aliquam diuersitatem rei, sicut Socrates & Socrates sedens differunt ratione, & hæc reducitur ad diuersitatem substantia & accidentis, & similiter homo, & animal ratione differunt, & hæc differentia reducitur ad diuersitatem materie, quia genus sumitur à materia, differentia vero specifica sumitur à forma.* Ex quibus verbis colligitur de sancto Thoma multipliciter, & compositionem rationis, quæ datur in specie fundari in multiplici-
tate reali materie, ac formæ, ex quibus defumuntur gradus metaphysici. Potest autem suaderi, quoniam compositio omnis requirit aliquem modum saltem virtualem actus, & potentia: ubi autem non interuenit vlla distinctio, & compositio actualis, non potest concipi ratio actus, & potentia ratione distincta: quare ad compositionem rationis necessario supponitur compositio realis. Maior propositio ostenditur, quandoquidem in compositione rationis debent interuenire, si non actu secundum rem, virtute tamen, ac secundum

ratio-